

Theorema 19. Propositio 19.

Si Octaedrum sphaeræ inscribatur; erit semidiameter sphaeræ potentia tripla eius perpendicularis, quæ ex centro sphaeræ ad basin quamcunque Octaedri ducitur.

Theorema 20. Propositio 20.

Duplum quadrati ex diametro cuiuslibet sphaeræ descripti, æquale est superficiei cubi in illa sphaera collocati: perpendicularis autem à centro sphaeræ in aliquam basin cubi demissa, æqualis est dimidio lateris cubi.

Theorema 21. Propositio 21.

Idem circulus comprehendit, & cubi quadratum, & Octaedri triangulum, eiusdem sphaeræ.

Theorema 22. Propositio 22.

Si Octaedrum, atque Tetraedrum eidem sphaeræ inscribantur; Erit Octaedrum ad triplum Tetraedri, ut latus Octaedri ad latus Tetraedri.

Theorema 23. Propositio 23.

Si recta linea proposita potuerit totam aliquam lineam sectam extrema, & media ratione, & maius eius segmentum; Item totam aliam similiter sectam, & minus eius segmentum: Erit maius segmentum prioris lineæ latus Icosaedri; minus autem segmentum posterioris lineæ latus Dodecaedri, eius sphaeræ cuius recta linea proposita diameter existit.

Theo-